

SEPTENTRIO

TROPICVS CANCRI

AMERICA PERVVI

AQVE ITA VT POSTREMVM DE-
TECTA TRADITVR RECENS
DELINEATIO.

Cum privilegio



AMERICA, SEV NOVVS ORBIS.


argumentum, ne videar omnino frustra huic opinioni reclamare. Marcus Venetus, qui omnes regiones Indiæ Orientalis lustravit, ibique ad annos plures habitavit, scribit lib. 3. se per regionem Mangi ad Oceanum vsque peruenisse, ibique nauem conscendisse, & per Garbinium ventum (qui est inter Meridiem & Zephyrum) ad Cyambam nauigasse milliaribus Italicis 1500. A Cyamba delatus est deinde milliaribus totidem ad Iauam maiorem insulam, versus Austrum ferè. Quo nam pacto posset quispiam ex terræ Nouæ latere Orientali, cum per eam transitus non sit, versus Meridiem ad Iauam maiorem nauigio proficisci: cum hæc insula nunc obseruata sit apud Indiã. At ego rem incertam experientia, & lectorum iudicio committo. De soli autem ipsius Americæ fertilitate & cæli temperie hæc sunt, quæ ipse Americus Vesputius in epitome suarum nauigationum scribit. Regio est aprica, ferax & eximie amœna, & licet sit cliuosa, irrigua tamen est fontibus & fluuijs innumeris, syluasque habet adeo cõdensas, vt vix transitum præbeant, obstare arborum frequentia. His inerrant animalia multi-iuga, eademque sæuissima, arbores & fructus absque cultore suapte natura crescunt: fructus habent vberimos, eosdemque suauissimos, nec mortalibus noxios, nostris prorsus absimiles. Gignit etiam terra innumeras herbas & radices, quibus panem conficiunt & alia pulmenta. Semina sunt complura, verum nostris minimè similia. Regio nullum fert metallum præter aurum, auri igitur ibi ingens est copia: nam de hac re certiores nos fecerunt Indigenæ omnes, qui plagam hanc auro scatere affirmabant, idque apud eos minimè in pretio esse, & ferè nullius momenti. Baccas margaritasque quamplures habent. Idque imprimis admirationem præbet non mediocrem, psittacorum multi-iuga natura, colorque multiplex & varius, adeo vt Polycletus, vir in pictura tantus has auitorum varietates vix consequi potuisset. Arbores omnes inenarrabilem suauitatem fragrant, gummas, liquores & succos emittunt passim, quorum virtus si nobis comperta foret, puto nihil nobis non solum ad voluptatem, sed etiam sospitatem, bonamque valetudinem defuturum, & si qui est in orbe paradisius terrestris, non longè ab his regionibus haud dubie esse debet. Itaque regio vergit ad Meridiem, tanta cæli temperie, vt nec hyeme algeant, nec æstate exæstuent. Cælum inibi & aëra perrarò nubes inumbrat, ferè semper serena sunt, rorat quandoque, sed leniter. Vapores sunt propè nulli, nec diutius rorat quam tribus vel quatuor horis, & instar nebulæ mox fatiscit. Hæc Vesputius. Insulæ hunc Orbem nouum circundant innumeræ penè, quarum quæ maximè nunc cognitæ celebresque sunt, hæc numerantur. Hispaniola insula sub longit. 306. graduum, admodum culta urbibusque consita est: nam eius magnam partem

nunc Hispani incolunt, qui aurifodinas possident, in eisque operarios suos Regi alunt, nascitur enim aurum & in montibus & in fluuijs: ijdem agros colunt, semina iactant, & ciuitates more suo ædificant. Insulanus nudi ferè incedunt, panem ex radice quadam conficiunt, aurum auribus naribusque suspendunt. Mittit autem hæc insula lignum Guaiacum, quo nostri tanquam remedio presentissimo aduersus morbum Gallicum vtuntur. Isabella, Cuba vel Ferdinanda sub longitud. 193. grad. lat. 23½. longè in Ortum Occasumque diffusa, moribus superiori haud dissimilis: ferro caret, sed eius vsus lapis pellucidus supplet. Iucatanana sub longit. 281. grad. latit. 20. Incolæ benigni sunt, & comercia non fugientes. Vestes ex gossypio diuersimodè tincto conficiunt. Fœminæ ab umbilico deorsum integuntur tanta verecundia, vt vitio detur si pede aut crure discooperto processerint. Huic proxima est versus Ortum Cozumella insula, eiusdem ritus ac instituti cum præcedenti. Ab eadem Iucatanana 100. quasi milliaribus Hispanicis in Occasum tres sunt insulæ Sacrificiorum. Nomen indidit ritus nefandus Insulanorum: quippe qui maritimois suis dijs proles suas immolant, primum pectore aperto cor eruunt, eiusque sanguinem labijs deorum seu idolorum suorum illinunt, exta igni iniecta comburunt, alioqui gens satis familiaris ac benigna. Habent longit. 268. lat. 23. grad. Iamaica insula sub longit. 295. latitud. 15. & 30. Insulani adiacentibus similes sunt in moribus & vitæ institutis. Est item infinitus ferè numerus insularum in longitud. 315. latit. 12. Ex quibus sunt Dominica, Guadalupe, Sanctæ Crucis, quarum incolæ Canibales sunt, de quorum moribus supra mentionem fecimus. In longit. rursus 340. latitud. autem 38. Gratiola, Ternera, S. Michaëlis, Fatalis & S. Mariæ. Insula Viridis, quæ alijs Brasil dicitur. in longitud. 354. lat. 51. Denique vt semel finiam, tantus est in hoc Oceano Insularum numerus, vt si omnium descriptiones & mores prosequi animus esset, liber in ingens volumen excresceret. Verum si quispiam est qui latiore harum rerum enarrationem cupiat, alios consulat. Nobis satis visum fuit, præcipuas tantum mundi partes, breuibus verbis indicare. Neque enim omnem Cosmographiæ, totiusque orbis descriptionem, historiamque texere ad vnguem præsentis fuit instituti. Verum hæc partim addita, ne versa pagina charta non vestita, lectori minus grata esset: partim etiam vt picturæ essent quasi interpres, simulque regionis cuiusque contenta ac alia edocerent, quatenus chartæ angustia propositusque nobis ordo pateretur, quo nostro labore vt æqui bonique consulat beneuolus lector identidem precamur.




AFRICA.

Africa altera orbis pars ab Afro, vno ex posteris Abrahæ sic dicta, vel vt Solinus vult, ab Afro Libys Herculis filio, Iohannes Leo ab Arabibus Iphiciam vocari ait, idq; vel à verbo *Farracca*, quod est diuido, quod Mediterraneo mari ab Europa, Nilo autem fluuio ab Asia disteminetur, vel ab Ifrico quodam Arabiæ Fœlicis rege, qui primus eam terram incoluisse dicitur. Minus absurdi videbuntur forsitan qui Græco sermone sic dictam aiunt *Αφρικην*, quod (ita vt res testatur) frigore horrore q; careat, quanquam hanc partem Libyam ab illis vulgò appellari solitam, constet omnibus, id q; à Libya Epaphi filia, vt Solinus author est. Hesperia etiam ab iisdem nuncupatur, quo nomine & Italia & Hispania vocari solitæ sunt: & hæc quidem ab Hespero Occidentis stella, quam vltimæ epitheto à reliquis discernere licet, vnde Horatius: *Qui nunc Hesperia sospes ab vltima*. Illæ verò ab Hespera Atlantis filio, qui in Italia imperium tenuisse, in Africa verò, dum in cacumine montis Atlantis cursus astrorum obseruaret, nunquam postea comparuisse fertur, quem vulgus vt Deum coluit, eiusq; nomine lucidissimum illud sydus insigniuit, vt Diodorus tradit. Est autem Africa inter Asiam, Europam & Austrum sita terra, de cuius quantitate apud veteres non constat, ob causas ex Strabone Geographorum probatissimo mox subiiciendas, cuius multa assumentur in nostrum vsus. Hoc solo ab eo dissentientes, quod terminum Africae Orientalem Nilum fluuium ipse, nos sinum Arabicum, ac lineam inde ductam vsque ad Mediterraneum mare constituamus, Ptolomæum principem sequuti, cui potius per maria quàm per flumina (siquidem fieri possit) orbis partes præcipuæ dispescendæ videntur. Atque hæc vna est rationum cur Europa minorem dixerit Africam Strabo, altera est quod pars eius Australis, cum Ptolomæo tum etiam Straboni incognita fuerit, vnde ambigua apud illos proculdubio fuit huius partis quæritas. Nos Europa maiorem esse indubiè dicimus, si amplitudinem spectes: viribus certè impar est, multoq; inferior. Nam vt ipse ait Strabo: Maxima Mediterraneæ pars & regio circa Oceanum deserta est, paruis præterea habitationibus & sparsis, & magna ex parte pastoralibus distincta est. Ad solitudinem accedit: quòd multa loca quæ habitari possent non habitentur, propter feras. Multum quoq; torrida zona occupat. Ora verò quæ aduersa nobis est tota bene habitatur, quæcunque inter Nilum atq; Herculis colūnas iacet, præsertim ea quæ sub Carthaginensibus est, quanquam & ibi loca quædam intercidunt siti vasta, qualia circa Syrtis & Marmaridas & Cathabathum sunt. Hanc autem vniuersam nos non vt plerique alij in quatuor, verum in quinque secamus partes, in plures deinde prouincias seu regna diuisibiles. Mauritaniam seu Barbariam, Numidiam, Libyam & Nigritarum terram, sub quibus Aethiopia comprehenditur & Aegyptum, quam ab Africa, qui Nilo flu. eam finiunt, excluderunt. Harum prima quæ Gadibus (vbi Fretum Herculeum, quod mare Mediterraneum illabitur, stadijs non plus septuaginta patere dicitur) Mauritania olim vocata à veteribus bifariâ secta fuit, in Tingitanam scilicet, & Cæsariensem. Tingitanam quidem eam, quæ Oceano alluitur ab Occasu, in qua Abyla altera columnarum Herculis, tractu Mediterranei maris ad Septentrionem ad Maluæ flu. vsque ostia, qui Muluia iam nuncupatus est, extèditur ad Orientem eodem flu. à Cæsariensi sequestratur. Versus Austrum Getuliam & interiorem habet Libyam, ad Atlantem maiorem vsque quem Dyrin Mauri, nunc verò *Dauachal* vocant. Mons parte sua qua Meridiem respicit & Oceanum horridus & squalidus, qua autem Mediterraneum mare, cultus & fertilis est, nascentibus spontè frugibus. In hac Mauritania hodie duo præcipua numerantur regna, quorū quodque in septem alia regna distinguitur. Regnum Marocci vocatur pars eius Occidentior, regioq; quæ propriè hoc nomine appellatur, formæ est penè triangularis, sub eo autem comprehenduntur Heæ, Susæ, Guzulæ, Marocci, Sterratæ, Duccalæ, Halcoræ & Tidletis regiones seu regna. Regio amenissima, multi iugis armentorū, pecudū atque ferarum generibus abundans: vbique herbida, rerum omnium quæ ad victum conueniunt, quæ naribus adblandiuntur, quæq; oculos pascunt, feracissima, perpetua penè planicies: Longobardiarum

non admodum dissimilis. Montes si quos habet frigidissimi atque sterilissimi sunt, adeò vt nihil aliud quàm hordeum producant. In ea ciuitas Metropolis eiusdem nominis maxima, cuius descriptione leges apud Iohannem Leonem, vnde hæc petiuimus. Habens in longitudine grad. 13 $\frac{1}{4}$. in latitudine autem 29 $\frac{3}{4}$. distans ab Atlante milliibus circiter 14. Alterum Fessæ regnū, quod Ampelusiam olim à vitium copia dicebatur. Incipit ab Occidente à flumine Buragrigo, distenditque se Orientem versus vsque ad flu. quem Inauem vulgò vocant. distant autem ab inuicem hi fluuij centū ferè milliibus. In Septentrione flu. Sula, in Meridie verò Atlantis radicibus finitur, quod item septem (vti dictum est) sub se comprehendit regiones Temesne, Fessam regionem, Azgaram, Elabatham, Errifitum, Garetum & Icaon. Ager illis tam frugibus atque armentis abundans, vt nulli planè cedere videatur. Pagos hinc vbique maximos inuenias, quos oppida non immeritò dixeris. Planicies præteritorum bellorum iniuria adeò vastata, vt paucos admodum iam habeat incolas. Est & in hac vrbs Metropolis eiusdem nominis permagna, ac vniuersali studio famata, quanquam celebrior olim fuerit. Sita est ad grad. longit. 16 $\frac{1}{2}$. latitudinis autem 3 $\frac{1}{2}$. Cæsariensis verò Mauritania, ab Occasu habet Tingitanam, à Septentrione mare Ibericum & Sardoum pelagus, ad Numidicum sinum vsque, ac ostia Ampsagi flu. quem Sufegmarum Castaldus, vel Sufmare Iohannes Leo appellat. Ab Ortu Africam minorem, à Meridie Montana Libyæ & Getuliam. Comprehendit & hæc etiam alia duo insignia regna, Tramesinum & Tunetense: quorum illud rursus tres in se complectitur regiones. Montes nempe Tunetem & Elgesairam, habetque hoc regnum suum initium in Occidente à fluminibus Za atque Muluia, à Septentrione mare Mediterraneum, ad Orientem terminatur flumine maiore, qui Audus dicitur Ptolomæo, à Meridie autem habet Numidiæ desertum, patetque ex Oriente Occidentem versus, in longum trecētis & octuaginta milliibus, in latum autem à Meridie in Septentrionem, hoc est à mari Mediterraneo vsque ad deserta Numidiæ, non amplius viginti quinque. Rarò admodum per hanc regionem tutò peregrinari licet. Maxima tamen hinc est mercatorum frequentia, eò quod Numidiæ vicina est, & quod hæc ad Nigritarum terram proficiscentibus iter pateat. Portus habet duos, Oram alterum, Mazaquibir alterum, ad quos confluere solet Genuensium ac Venetorum maxima copia. Huius regionis maxima pars, inculta est arida atque aspera, ea præsertim parte, qua Meridiem respicit. Maritimi autem agri aliquanto steriliores atque fecundiores sunt. Tuneti quoque atque Algeri regiones montes habent, omnium rerum affluentia fecundissimos. Raræ in hac parte vrbes, raræque castella. Fœlicissima tamen maximeque frugifera eius nominis quo regnum vrbs Tremesin, habens in longitudine grad. 22. in latitud. 31. Eius territorium elegantissima rura habet, in quibus se ciues per æstatem continere solent. Omnia hinc prata ridet, fontes limpidissimi, fructuum omnium abundantia. Ficus sole exficari atque in hyemem asseruari solent, non hinc amygdala, mala persica, melones, neque citrioli desiderantur. Magna etiam literatorum frequentia, nec non & variarum disciplinarum professores aluntur. Tunetanum præterea regnum itidem in se quatuor complectitur regiones Bugia, Constantina, Tripolis Barbariæ & Ezzaba, quæ bona Numidiæ pars est. In hac Carthago nobilis & celeberrima ciuitas, Romani imperij infelix æmula, vbi Bagradas flu. quem Megarada nunc vocant: mari Mediterraneo miscetur, vbique serpentes Regulus 20. pedum adhibito exercitu interfecit. Carthaginis verò situm in hunc modum tradit Strabo. Carthago in peninsula quadam iacet, quæ ambitum habet stadiorum trecentorum & sexaginta muro cinctum, cuius sexaginta stadiorum longitudinem iugum occupat, quod à mari in mare descendit, vbi Carthaginensium Elephantibus stabula habebat, qui locus amplissimus est. In media ferè vrbe arx fuit quam Byrsam vocant, supercilium satis erectum & circum circa habitatum. In cuius vertice Aesculapij templum erat, quod Asdrubalis vxor capta vrbe, secum concremauit. A rici portus Iubiacent, & Cothon parua insula & in orbem ducta, & Euripo comprehensa, ea circū circa nauale habet quod Dido condidit. Iam ad nihilum re-



Africa ut terra maris lustrata est, propriissima ac vere genuina descriptio, observatis ad unguem gradibus longitudinis et latitudinis. Autore M. Iacobo Castaldo.



Ioannes à Deuterum Lucas à Deuterum fecerunt